Poloniae Regina

Krobski Adriani: Splendor virtutum lucidissimis reginalis coronae radiis ad aeternitatem coruscans.

X.

S

L

SAC

SE

E

P.C

AR

Sty

Cro

M. A

SPLENDOR VIRTVTVM

Lucidissimis Reginalis Coronæ radijs Ad Æternitatem Coruscans.

SACRO FELICISSIMÆ INAVGVRATIONIS DIE

SERENISSIMÆ ac POTENTISSIMÆ

DOMINÆ, D.

ELEONORAE

DEI GRATIA,

POLONIÆ REGINAE.

Principissæ Hungariæ & Bohemiæ.

ARCHIDVCISSÆ AVSTRIÆ.

Styriæ, Carinthiæ, Tyrolis, Burgundiæ, Croatiæ, Dalmatiæ, Sclauoniæ, Mantuæ, Montis Ferrati &c. &c.

DVCISSÆ.

PER

M. ADRIANVM KROBSKI, Philosophiæ Doct: Eloqu: in Acad: Zamoscen: Ordinar: Professorem, publicæ Luci,

MONSTRATVS.

Anno exortæ Lucis æternæ, 1670.

ZAMOSCI Typis Academicis.

CVm nihil in terris majus, aut excelſius Majeſtate Regũ, poſt DEVM immortalem cogitari poſsit: ejus enim ipſi quodammodo Legati ad reliquorũ hominum ſalutẽ creantur; æquum eſt eorum imperiũ, ac poteſtatem, & qui, qualeſq; ſint, diligenter intueri, vt eos omni fidelitate, curâ, obedientiâ proſequamur, neq; de ijs aliter, quàm de im̃ortalis, ac Præpotentis DEI Legatis dicamus, ac ſentiamus: nam qui Sum̃um Principem, cui debetur obſequium, dedecore afficit, DEI Majeſtati, cujus eſt imago viuẽs ac ſpirans, contumeliam infert.

Bodinus Andagavenſis, Lib. 1. Cap. 10. de Repub:



SPLENDOR VIRTVTVM.



Vā precatus ſum à Deo Omnipotenti, ea res mihi hodierno die, totiq; Regno Poloniæ, bene, & feliciter euenit, dum ſuada mea poſt lætas Hymenæi Tui ad Primiceriam Virginum pacti, gratulationes, iterum ex felicitate, totum Orbem Polonum ambiente, ortu veluti nouo alicuius ſyderis, & aſtri Heroici, oſtro affulgentis, in lætitiam conſpirat maiorem, rata proſperitatem ſibi aduenire, quando poſt nubila Phæbus Maieſtatem Tuam inacceſsibili à maleuolis luce circumducat, SERENISSIMA REGINA. Tantam enim hæc Tua ſolennitas tot ordinū plauſibus, tot votis Academiæ noſtræ Zamoſcenſis conſecrata, habet in ſe vim, & Religionem, quantam Tua lætiſsima facies, amabilis vultus, in ciuium ore, oculis, animoq́ue reſidens poſtulat, quantam dignitas requirit, & Thronus promeretur: idem ego ſum precatus, vt ijs quoque hominibus, quibus diuerſus ſententiarum genius mentes aliò traxerat, ea res fauſtè, & proſperè eueniret. Non quidem modo primùm in quolibet Regno fortunarum acer concurſus eſt, perpetuaque conflictatio, nihil ſine inimico aut inſidijs, ſi quid eminet: *ipſius culminis vmbrâ ſplendorem ſuum condi ij omnes putant, qui ſupra ſe nihil quiete vident*, dolentq; eò loci ſuum ſtatum eſſe, vndè poſsit aſcendi, hinc tumultus & per conuenticula diſſona vota, *vbi enim ambitio tranquillis in rebus nihil proficit, ipſi otio iraſcitur, diſturbatque velut inſanæ gloriæ impedimentum, pacem publicam*, iuſta non admittit, ſuper debita non concedit, ipſa quoq; virtus hoc habet, vt vel ſequaces faciat, vel aduerſarios, & dum non cuilibet datur illud aſſequi, quod ſupremum eſt, hinc fit ſæpiſsimè, vt irritis laboribus non plus fatigata, quàm exaſperata ambitio, felicioribus maledicat, illumque ſplendorem damnet; quem ſupra ſe eminere cū gemitu agnoſcit. Plures inuenire facile eſt ex mentibus illuſtriori-

quæ cùm in altiſsimas ſpes incubuerint impatienter, ſe non obtinuiſſe ferunt, iniuriamq; dignitatis exiſtimant fruſtra ſperaſſe, quæcũq; prece audaci poſtulauêre. Hanc ob cauſam corporis noſtri eſt facilis diſſolutio, quòd coaleſcimus contrarijs, & litigantium qualitatũ diſsidio premimur, velut illæ vrbes, quæ Incolarum plicis aut tricis partitæ ſuam diſcindunt felicitatem. Verùm infelix eiuſmodi homo, cui ratio in ſupplicium data eſt, neq; conceſſum, vt impune ſupra belluas emineret eâ parte, quâ ſe iactat cæteris animantibus præferendũ. Antiperiſtaſis illa, quâ à tam longo tempore elementa conſeruantur, exercentur, expoliuntur, quamuis à promeritis viuentium arceatur, quid præſtat? quàm vt maiorem ipſis addat excellentiam, diſperſaq; per regiones varias ad æquales ſuis combinationibus reducat doſes. Et cælo quidem nunquam clementia tanta, vt obſtetricantem in horas omnibus porrigat dexteram, vt omnes ſimul terras vberet, foueatq; . Non ergo Te SERENISSIMA, aliena inuidentia, tot Regionum & hominum, primum à nobis, tum à recto Regalis Solij, diadematis, ac paludamenti deflexit vnquam, neq; deflectere potuit, cùm Tu minus taminatâ laude, inuidiam, tot virtutibus partam, gloriam non inuidiam cenſuiſti, & hucuſque cenſes. Viuis & (vtinam myriades annorum viuas) apud nos, acſi climati huic aſſueta; ſciunt imo agnoſcunt vniuerſi bonitatem ingenij Tui, affabilitatem, prudentiã, pietatem experiuntur, ſpectant magnificentiam, intuentur magnanimitatem heroicam, mirantur prudentiam, nobiſq; nimiùm propenſam charitâtem, atq; fidem, magnas notant virtutes in vultu, indolem modeſtiâ & grauitate temperatam, in fronte animi immobilitatem, atq; probitatem, in geſtu, proceſſu ac motu vitæ integritatẽ, magni pectoris excellentiam, prudentiam, moreſq; probatiſsimos. Fatentur magnæ virtutis opus eſſe, pacem bello, ſanum conſilium temeritati, rectam conſcientiam peruerſitati, rationem illæſam impetui præferre, & Te omnibus Naturæ donis, ſingulis virtutibus quæ cuncta mirothecia & ſuauitatem oratorum ſuperant, cumulatam iudicant, deprædicant. Vt enim maris cæliq; temperiem turbines procellæque commendant: ita ad amplificandam hanc ſplendoris Tui gratiam, nimbos aliquos, & tempeſtates crediderim præceſsiſſe: hæ ſunt profectò miſeræ ad leuamen mortalium generi vices, vt ex aduerſis ſemper ſecunda naſcantur, poſt triſtia læta ſubſequantur. Rediit omnibus reuerentia & metus; iam Tibi benefaciendi vis tantopere exardeſcit, vt indulgentiã Tuam neceſsitas, officium, ac promptitudo æmulentur. Prætextæ aſſumuntur, gratulabundi accurrunt ſubditi, ſinguli reuocantur; num hominis iſtud ingenium eſt, atq;

poteſtas

poteſtas? renouare gaudia, redintegrare lætitiam nullã requiem propenſionis monſtrare, nullum finem gratulationibus imponere, nulla plauſibus interualla permittere vt quæ ſemper incipiant, nunquam, finiantur. Omnes Vrbes ſplendorem, templa religionem, agri vbertatem, gentes amorem & concordiam poſtliminio reuocant, vitam fœdera amiciſsima, ſalutem deſideratiſsimam reaſſumunt, dum eis lucem ſerenam totiq; Lechico Imperio Tua infers Maieſtate. Iam priſtinum vereq; Polonum candorem præſenti actu adæquant, ſpem patriæ in pectoribus ſuis conceptam, votorum magnitudine contrahunt, dum Maieſtas Tua ſplendidiſsima cæli, numinis, & Ordinum Regni auſpicio ſuo ſolo inuehitur. Deſideratam nobis omnibus hodie, nullaq; retardatione, ac mentium diuerſarum iniuriis violatam diem reddit Phoſphorus, qui corda ad gaudia & gratulationes properantia dubio tempore eludens morabatur. Quis hodie in tripudia non rapiatur? quis non ardeat exultatione, cum ſuauiter SERENISSIMVM REGEM MICHAELEM SPONSVM Tuum amantiſsimũ SEREMISSIMA ELEONORA, oculos hac Tuâ ſolennitate, paſcere, INVICTISSIMVM IMPERATOREM LEOPOLDVM Fratrem non ſine oblectamento de Tua Coronatione audire, iamq; in ſe totum quadam mirabili gaudiorum vice moueri, SERENISSIMAS PARENTES amore & lætitiâ eliquari, cuſtodem Legum, interpretem Conſilii publici, ſenatum oblectari, Ciuitates vniuerſas in triumphos rapi, omnem ætatem atq; ſexũ gaudere, municipia, ſpes omnes meliores concipere, tecta deniq; ipſa tam beneficam, tam amabilem & clementem Principem in Throno venerari conſpiciat. Quid dies ille? quo comitatu ſelectiſsimo aſsiſtente ad ſacram vnius in bino corpore voti ſocietatem, ad indiſsolubile Sacramenti magni vinculum *Czeſtochouiam* ingreſſa es? iam hoc ipſum quod ingreſſa es *Varſauiam* quàm charum, & iucundum, dum Polonorum adſtantiũ, iam tum filiorum, ac ſubditorum pompa ſerenitatem Tuæ *Auſtricæ*, Regiæ Maieſtatis prodigo oculo animoſiùs è propinquo contemplabatur, effulgurantis flãmæ Tuæ iubar, caſti ignis ſcintillas, ſuis deſideriis, flabello quaſi intenſiſsimi aſpectûs accendebat. Temperâſti lucem præſentium è vicino eandem abſentibus, omnes ſaturos tantæ gratiæ ac beneficiis reddidiſti. Hodierna verò lux, quid apud nos, & Regnum? vbi non albentibus Equis ſed humeris Ciuium ad ſolium eueheris, non de corporum viribus ſed de animis quendam agis triumphũ. Non ætas quenquam, non valetudo, nõ ſexus retardat, quominus lumina ſua tuo ſpectaculo impleat. Alij ad hanc tuam auſpicatiſsimam Inaugurationem, ex primo intuitu cum ſuis oculis confir-

mationem

mationem ineunt, & cum fœnore eiſdem, ex grauiſsima mora, interſtitij tam diuturni delectationem reſartiunt, alij ad noſcendum accurrunt, quibus intermedia paruulorum, iuuenum, ſenumque miſcentur, neque ægri neglecto medentium imperio ad conſpectum Tui quaſi ad recuperandam ſanitatem accelerare verentur. Inde alij temperatam quandam parant ſibi ſuperbiam ſufficere te vidiſſe, & coram alijs, vocibus cothurnatis ſe relaturos ante tempus ſapiunt. Referta ſunt tecta onere ſpectantium gementia, ac ne vnum quidem vacantem locũ qui ſuſpenſum & ſtabile veſtigium non caperet, oppletas vndiq; vias, ſtrictumq; admodum Tibi tramitem relictum, alacrem huc & illuc populum, quolibet in loco ſimile gaudium, ſimilemq; clamorem facilè quiſq; videre poteſt. Eadem lætitia per corda omnium diffunditur, quæ ex aduentu Tuo in Poloniam percepta fuerat. Sed quid dico eadem, maior dubio procul, ſiquidem cum ingreſſu Tuo in fæcundis pectoribus creuit, ac propè hodiernum diem ex ſingulis horarum momentis, lucis diurnæ gradibus, noctium vigilijs eſt adaucta. Iucundum nobis fuerat Te ſalutandi tempus, Tibi verò noſtra Officia grata, quæ ſine dimiſsione oculorum nutui DOMINÆ, aduigilarant. Iucundũ nobis, quòd poſt illam vtriuſq; viciniæ adſtipulationem præcipuas familiaritatis inter *Auſtriam & Poloniam* notas addidiſſes, gratum Tibi, quod ſenſim occurſantium noſtrorum turba Te hinc indeque ſequeretur, quod reſpectantium populus Tibi adſtaret, & primò ſtatim ingreſſu omnes Tuos ſe eſſe profiterentur; quantò nunc nobis iucundiùs, Tibi gratiùs dum vultus Tuus maieſtate iam venerabilis, pietate grauis, ore placidus & amabilis non mediocriter vnumquemq; hilaritate afficiat, quando circumfuſus vndiq; ad Tuũ ſolium nunc ſenatus, nunc Equeſtris ordinis flos, vt alterutrum frequentiæ genus ſtipet, veneretur, intueatur, & quin intueatur? dum omnia, à natura & virtute Tibi porrecta extra communem ſenſum animaduertit. In Te magnanimitas digna profectò tanto Imperio, atq; adeo hac maximi honoris Maieſtate Regia elucet, in Te eximia formæ pulchritudo ſummâ integritate verecundiâq; ornata eminet, in Te innumera bona Diuina & ſpecioſa proprijs prætexta ornamentis nitent fulgentq;, in quibus enumerandis diſertiſsimorum quorumuis Oratorum deficerent Elogia, ſcriptorum pennæ, Poëtarum entuſiaſmi caderent, & omnis ſi qua eſſet perfectiſsima eloquendi norma, magnitudine tantarum virtutum, multitudine eorum donorum vinceretur. Ad hæc primo occurſu ac viſu placabilis omnibus es agnita; humilitas in fronte, bonitas in oculis, rubor in corpore, in ore pudicitia multo rubore ſuffuſa apparuêre. Quid ergo de Te dicendum

mihi?

mihi? cum existimem nullum vnquam tantâ Eloquentiâ, tantâ vbertate ingenij, tantâq; copiâ, & incredibili genere dicendi reperiri posse, qui celsissimarum virtutum Tuarum, quas omnes animo penitus comprehendis Tuo, non modo augere aut ornare Oratione, sed enumerare cumulatè satisq, dignè valeat recensere, prius expectatione omnium laudum ac vastitate rerum fractus, debilitatusq; longe pauciora dixisset, quam dixisse putaretur. Porro Oratorum ea est professio, vt quando ad Maiestatem deueniunt, silentium potius adamēt, & in admiratione sola, oculos atq; ora defigant. Plures *Hipparchiones* inuenti qui repente obmutescunt à quibus grande aliquid exspectatur. Egone tamen sileam imo tanto audacior assurgam quantò ad magnas mentes pusillos etiam in encomia rapi animos est compertum, Maiestatesq; vmbratilem rudioris facundiæ vocem, ad suum splendorem alliciunt atq; ab eis integra Regna vniuersæq; Prouinciæ & populi satis superq; Officiorum suorum claritare pulchrescunt. Excipies quocirca SERENISSIMA REGINA me talem, qualem voluntas studio accensa, & alacritas in Tuas laudes, virtutumq; Tuarū splendorem animata voluit habere, quæ cum omni calamo maiores sint in æternitate, nihilominus & memoriâ, quæ per has meas sinuabitur paginas justo titulo æquiualebunt.

Ascende felici passu, fausto pede SERENISSIMA REGINA soliū dū mea pro Tuis laudibus ascensum sibi parat Oratio, quæ licet nō est tanti, vt omnes ad assem & vnguem orbi prædicet, veritatem tamen nude tradere, magis sibi arridet quâ vnicuiq; faciliorem se præbeat in primo aditu, omnibus ad intelligentiam rem vt est adaperiat. Non cadit illa quidem spe & animo, dum sperat se à Tua Eminentia attollendam, hæc illi inest fiducia, quod suos conatus, quamuis vacuos ex solo numine Tuo cui semper laborabit Orbis tantò plus in lance dignitatis ponderabit, quantò sublimioris materiæ bajulam sub reginali encomiorum heroicorū grauitate succumbentem existimabit. Posset ea ex solo auditu in conclaui has depingere virtutes, non difficile sermonis lenocinio compeditam inter plausibiles vocis publicæ sonos linguam resoluere, resolutam in vocalis lætitiæ, pensum offerre, sed vt ex ista repercussione, quæ ex Maiestate vnumquemq; adstantium irradiat magis magisq; transpareant, Tuæ Serenitati Officijs obligatis, verbisq; humilibus mauult famulari. Arbitratur priùs adorandum esse Thronum, cunctas gratiarum actiones deponendas, de nouo petitiones inchoandas, & omnia quæcunq; per corda fidorum voluuntur vota inflectenda, quam præsentes hilaritatis sensus absentibus & posteris reddere sensibus, quam tantæ dispar Maiestati in-

compta voce, & inexercitato calamo reddere obſequium. Citiùs & hæc mea penna ſine pæna erit, dum à radiante luce Tua illuminabitur, velociorem plauſum in ſeriis capeſſet, dum ex tam feſtiuo omniũ applauſu votiuum incipiet gratitudinis & meriti Sacramentum, auſpicata ſors illam concedet facilitatem, vt ex hoc Regiarum virtutum gazophilatio gemmas & lapides pretioſiſsimos admirationi omnium diſpergat, ex Europæ delitio ſpes publicas fortunarum, felicitates priuatas tranquillitatum ominetur, ex hoc Regni Poloniæ ſalutari & benigno ſydere fidei ardorem, malorum extinctionem, bonorum auctionem, triſtium expulſionem, amœnorum implantationem tenebrarum abolitionem, lucis publicæ in omni quiete & ſecuritate exortum polliceatur dum ſe Tuo illuſtratam fulgore, præſentiâ animatã ſentiet agnoſcetq; . Actio in munere ſuo feliciori niſu promouebitur, dum à Tua poteſtate è propinquo, non aliter, quàm imperio & juſſu confirmabitur. Animus ac mens ex ſuo arcto pectoris ergaſtulo in vaſtam periodorum exibit planitiem, dum ex ſede imperanti Tua, clandeſtino nutu ſed amabili compelletur. Cultus, omnis fuci inſcius & fumi, latiùs ibit ingentes exteras dum intra ceremonias mihi nondum viſas, inter tot Poloni ſplendoris Decora ad lenimen grauioris lucubrationis, ad leuamen intenſioris laboris informabitur. Aperiet manus faſcinatos oculos detracto (quod inuidos Regum gloriæ infuſcat ſpiritus) nubilo dum intra clauſuram parcioris luminis non remanebit; neq; ad publica caligabit encomia, dum in aperta luce, priuatâ relatione abiectâ, verſabitur: nempe quod veritatis eſt, quòd vniuerſæ huic vrbi & planius pleniuſq; orbi patet, enucleabit. Feruor in ipſa actione, per tot tractus viarum iturus, tot oculis noua gaudia porrecturus, nouas deprædicaturus laudes, quæ ſtatim in ipſo diluculo, in Te claruerunt obrigeſcere non poterit, quando viuidiori calore huius actus in ipſa Reipublicæ facie ab impreſsis ſpeciebus calefiet. Magna profectò attento, quum accedere propiùs ad tantam Maieſtatem præſumo, & forſitan mihi verendum, ne prius cæcutiam, quàm tuto oculo hunc ſplendorem intuear. Quippe vmbra ad lucem, tenebræ ad ſolem, quid habent? quàm vt omnes in vanum abeant, diſpergantur: ſed audendum aliquid & non tam curioſitati aut alicui audaciæ adſcribendum, quàm fidiſsimo ſubditi famulitio, cui ad tantum Heroinæ Thronum facilis aditus, quia Dominæ; ſerenus quandoquidem ſplendoris intuitus quocunq; ſe infert, omnia copioſè illuminat, & non ſine admiratione, vel potius delectatione cumulatâ abundantiæ luce animis lumen transfundit, quod certiùs, quam à lambente Tullium Seruilium flamma à Tua Maieſtate mihi

obuen-

obuenturum spero, ac promitto. Facile id coniectare possum, ex communi gaudio, quod omnium pererrat animos; rarus enim est, qui Te aliquo gratè non excipiat indicia alij affectu fidissimo, alij vocali suada, hî muto amore, illi consonâ Splendori Tuo tubâ, hi liquido apprecationum pectore, illi firmis in oppositione, & defensione Majestatis, pectoribus: hinc Parentum cum charissimis liberis salutationes, illinc senum cum nutibus gratulationes; ex hac infantium puerorum clamor, ex altera parte Iuuenum gratissimum obsequium vndiq; circumstant. Quod prolixè, cumulateq; dum Tibi famulatur, mihi vni licèt parcè, gratè tamen hoc sermone famulari qui contingat; & certè contigisse meliùs sufficientiusq; non poterit, quàm dum Majorum Tuorum virtutibus, quæ in Te velut speculo & viuo Exemplari clarent, occupabor. Splendor hic Tuus Imperatorum, Regum Principum ad genesim Polonam translatus, facem mihi præbebit, qui non à me Oratore vno, ac mea fide, sed à seculorum serie, à conscientia mortalium, & rebus toto orbe gestis, ab Historijs Annalibusq; sit exigendus, ad cuius transparentiã, & diffusionis terminos Demosthenis ipsius succumberet Oratio, & fulminatrix illa Periclis Eloquentia. De quo non eâ quà par est dicendi si non loquar facultate, haud mihi soli pœna remanebit, sed etiam illi, qui Isocratis panathenaicum imitatus, aliquod periculum sperandum, ad eiusq; sufficientem explanationem infimum (ita arbitror) esset, quidquid vniuersa nostra dicendi ars, omnis loquendi facultas, haberet primarium. Stirps etenim hæc, in qua ille radios egit, omnium ferè gentium annorumque memoriâ celebratur, quam ante nata secula deprædicant, quam ipsa in posteris æternitas spectabit, & in cuius encomijs, dum tot desudauêre Panegyristæ, Harpocraticum eligere silentium maluissent, quàm modulis inconcinnis tam magna humerisq; suis grauissima tentare præsumpsissent. Mirabuntur, & obstupescent Posteri Imperia Tuæ Austriacæ Domus, Regna, Prouincias, Ducatus non in septemtrione solummodo nostro subactos, sed in totam Europam prolatos, pugnas miraculo Christianitatis exactas, victorias Orbi vix auditas, barbaris hostibus notas, triũphos belli ac pacis artibus acquisitos, trophæa in oomni loco, in omni acie reportata. Neque immerito possedistis tot partes, quascunq; vobis non cæca rerum humanarum Domina fortuna adiecit, sed quas virtus nulli vnquam ante vos comparata instaurauit, per quam serenius coruscabit vestri inclyti germinis gloria, quando hic natalium splendor per radios morum, per fibras virtutum ac limpidissimos eloquiorum fontes repercutitur. Ordinatissimo modo hæ Genethliacæ Lineæ, per puncta Hæreditariæ gloriæ in secula deferen-

tur,

tur, inuio per posterorum vias rotabuntur circumactu, dum virtutem primam, & gloriam Originis vestræ tanquam punctum centrale respicient. Augmenta, & incrementa magna heroicarum ex Austria mentium terris illabentur nostris; vtpote illâ cælesti benedictione, illo in DEVM obsequio irrorata, nec non eiusmodi pacto & fœdere, certo veluti impetu, per Thronos & Maiestates, per Fasces & Currules ad æternitatem sublimata. Iniuriam sanguis iste in Imperatoribus, Regibus, Ducibus, per Cyclos Orbis, per seculorum fastos, ac temporum lustra non patietur, qui baiulum se Regi Regum dedit, concessit. Crescere nunquam non poterit, qui satis Equo porrecto Flamini annorum, meritorumq; compage increuerat, imo in magna virtutum fastigia excreuerat, iamque sueto tantæ in cælum Religionis, tractu maturauerat. Cessisset tum temporis vel ipse Charmus cum sua Academia ad cuius valuas, primus aras amoris erexerat. Felicior in Austriaca origine aperta schola vbi maxima & meritò pietas vnicuiq; tutissima virtus aram suam, illius amoris Diuini obtinuit. Verissima Ara, in qua DEVS Regnorum dator huic vestro O REGINA Sanguini felicissimè per hanc humilitatem, vile obsequium, Regna Imperiaq, inscripserat. Hæredes jure meritissimo vocari potestis Imperij, pro quo ab ipso DEO sponsionem accepistis, eum vadem & obsidem præsentis, futuræque gloriæ habebitis, successores alios nō timete, alienigenæ procul à vobis, penes quos proximè DEVS. Nō fucatus splendor vestræ Domui famulatur, qui à splendidissima luce elementa & initia sumpsit. Difficile tum temporis magnos, quicunq; vixerat, non fuisset auguratus in RVDOLPHO *Iuliæ & Clodoueæ gentis sanguine Hapsburgi Comite*, spiritus, quando spiraculum vitæ, omnis naturæ Creator in manibus sui vicarij eius præsens intererat Comitatui, iam tum in pectoribus publico consensu felicitatum non vana omina meruerat, qui accenso in se æterni amoris igne se & Equum votiuam DEO victimam tradiderat. Bona auspicia, præclara Exempla, quibus tanquam gradibus, ad magnum splendorē, & hominum prædicationem eius pietas ascendebat. Infallibilis sequentium annorum idæa, quam RVDOLPHVS in campis per liberam cessionem præformauit, & aliquot illa jugera, pedibus suis mensa in vastissimas Geometriæ sphæras reduxit, illumq; paruum Equitatus circulum, in longos mercedis ac fructus vberrimi, per Imperatrices Aquilas, atq; augustas opes circos ampliauit. Egerat fortissimè, dicamne fidelissimè, dum suæ posteritati transacta generosè omnia reliquisset. Est iam video virtutibus quolibet lustro autumnus, temporum vicissitudinibus, & cæli Lunationibus non arctatus, in quo

dum

dum quisquam fructus colligere ignoret, conspiciat RVDOLPHVM, & attonitus stabit, rubore confundetur, qui vno virtutis & stimuli contrarij conflictu, gemmaturi æternùm æui ac Imperij maturitatis decora occupauit. Frustra ille paratas expectat messes, qui culturã in se non exercet, in cassum optimam periodum opperitur, qui aliquot in virtutibus excolendis non vult formare puncta, aut medias in sua media Adolescentiæ ætate, meritorum, & excellentis vitæ notas recusat. Hæ duntaxat ordinatissimæ successuum prosperorum fiunt reuolutiones, quæ apparentem fastidiunt lucem, erraticum abhorrent splẽdorem, iamq; autem suos, vero lucente sole exigunt dies, ad menses securitatis, & quietis ex temperamento victoriæ sui apprope rant. Cedit cum rota instabili, cæca rerum Domina, quando cælestis fortunæ fluit initium. Experire veritatem in RVDOLPHO, cui permagno stetit, detulisse obsequium cœlesti Imperatori, ob quod nescio an inuenit Imperium an feci? irriguus fons, ex quo magnis ostijs aluei processerunt; quidquid enim extremæ *Indiæ adorant, Siculi colunt, Hungari, Bohemi venerantur, Romani æstimant, Baleares Insulæ verentur*, hinc est effusum. Amplector in RVDOLPHO amicam hanc cum cælis consuetudinem, quæ præsago iam Te O REGINA explicauerat successu vt Diuino Austriacus sanguis ab eo incepisset consilio, ijsletq; in Tuam hodiernam Coronam cælo applaudente tantæ Maiestati. Nec aliquâ longitudine seculorum interiecta series decipit, quod fuerat ab orbe æterno proclamatum. Amabili vinculo Augustissima hæc surrexit Purpura, adeoq; in apice summo dignitatis fundata, vt sit extra omnem admirationem, & miraculum, eam in Coronis semper regnare, imperare. Primus hic, ne longius abeam, primus gloriâ, & rebus gestis, omnium seculorum, omnium nationum, omnis memoriæ facilè Princeps RVDOLPHVS, PARENS Austriaci splendoris, vitæ Actor & Auctor, fortunæ Hæres, memoriæ Antesignanus, nominis propagator, cuius pietate, laboribus inchoatum, simul firmatum Imperium, virtute stabilita authoritas, consilij aucta exaggerataq; sedes, cuius summâ authoritate, incredibili sapientiâ, pietate cælesti, ac fide inuiolatâ, vis Legum in Senatum, grauitas Iudiciorum in Curiam, Maiestas in Romanorum Imperium est introducta. Effulsit primò hoc eius pietatis documentum in illo bello, quod pro *Ottocaro & Venceslao* filio eius gessit, dum ei ereptas per hostem Prouincias, & Bohemiam quæ sceptris suis tumuerat, restituit, adiecit, & quidni adiecisset? pro cuius Armis S. MARIA tessera victoriæ prima (in qua Genti Austriacæ magna fiducia, vt fidem facit memorabilis in *Ottomanos ad Naupactum* victoria, cui idem nomẽ

prælio pro tessera legebatur) fuerat. Vinci medius fidius nusquam poterat, qui DEVM & MARIAM obsequio suo deuicerat, quorum spes inter ancilia, velut palladium Diuinitus sibi datum putauerat, hosq; victores in bellis, congressu cum hoste, semper agnouerat, habuerat, jactauerat. Felicem *Venceslaum* qui amisso Patre RVDOLPHVM Parentem assecutus, dum eius Filiam in vitæ sociam assumpsisset: sed feliciorem RVDOLPHVM, cuius liberalitas Regno maior, eousq; processit, vt dum tantum alij cum Filia Regno dotata præstitisset, certiore omine Bohemicum Diadema Austriaco vertici despōdisset. Aliquando parua dos in magnam hilaritatis cotem cedit, reditq; sua ad limina cum fœnore, quæ elocata cum pietate in filias & charitate. Impleuit satis abundè ad mensuram, satis copiosè ad præmium, illud anteactum argumentum, quod non alijs debuit terminari sequelis, præter Thronos & Coronas. Paratus ad Maiestatem inaugurandus venit, cui virtus capiti Coronā prius imposuerat, quàm dextera: prius humanas voces Diuinum Oraculum anteuertit, quod mutari nusquam potuerat, quàm spectaculum ostenderat. Processit in Vrbem coronandus, tot cætibus populorum spectandus, & iam arrhabone illo humilitatis coronatus; virtuti namque cum par merces dari non potest, præter ipsam Coronam, decebat vt eâ & interris dignaretur: hæc tamen virtus RVDOLPHI inæstimabilis, cum omni seculo maior, omni præmio dignior fuisset, non vnius Diadematis includi angustijs, sed omni æuo in posteris & in Te hodie SERENISSIMA REGINA debuit coronari, quo ipso ad nominis virtutisq; tantæ erectus, & per ipsum Numen euectus visus est, qui supremam Consiliorum publicorum vrnam, arbitrâ manu versaret, & totius Imperij sui, Regni Bohemiæ, Archiducatûs Austriæ, totque aliarum Prouinciarū sortes, sumo Regiminis calculo consignaret. Superbiant licèt Macedones, Pyrrhi, ac Xèrxes, qui per hostile tabum per colla perq; cadauera, Regni Thronos conscendebant; nihil ad nostrū RVDOLPHVM, cuius & non alius vsquam amplior Orbis terrarum, Imperio stetit fulsitque: illi quippe multitudine armatorum, hic ipso virtutum satellitio, illi tormentis, balistis, & tot bellicis instrumentis Prouincias suæ potestati subjugârāt, hic pietatis ac humilitatis telo, Coronas promeruerat, & amplius, quo se porrexisset honor eius, non habuerat, vberrimos campos Austriacos reddiderat, optimis eos excoluerat principijs, in quibus felicitas sæpius germinat Cæsares, Reges Thalami & Throni, quorum non à priuato meo calamo laus petenda, sed ipsius Austriacæ & Polonæ Aquilæ pennis vulgāda efferendaq;, non ex vmbratili parietum Academicorum censu æstimanda, sed publici præco-

nij encomio penſitanda. Nullus certè vulturum obex intercipiet felicíſsimæ huius Aquilæ curſum, quæ tota in conſeruationem pullorũ in ſuo nido natorum exaltata, eouſque circumſcripto virtutis volabit tramite, donec æuiternæ ſecuturi tẽporis illata memoriæ, ad ipſam ſupremam bonorum omnium æthram ſeſe extenderit. Tabida vetuſtas, & ſeniles anni, ab Herculeo ritu eam non arcebunt, quæ ſemel in natalitijs æternum fontem deguſtauit, in eoq; ſe ad profundum humilitatis ſubmerſit. Iuit virtus hæc illimi, incorruptoq, tractu ad ALBERVM I. Imperatorem Romanorum, qui RVDOLPHI animum pari excepit generoſitate, non alio pectore ſalutauit. Sæpius principia in alijs efferueſcentia videmus, quæ vbi ex prima glacie ad lubricæ ætatis licentiam, & campum deuenerint, flacceſcant potius, non reuerentiam illam ſenij exerceant. Faciliùs primogenita virtus ex paruis magna facit ex infimis ſuprema occupat, quàm Nepotes in ſpei faſtigio conſiſtant; abſq; trutina & iuſto pondere in ipſis ceris ignauia ſuam locat gloriam, quæ languido toties tepore ad domeſticum focum reſoluuntur, & multos indignos Hæredes Orbi victos relinquũt, quos ſui ſtemmatis victores, genethliaci cultûs, ſortiſq; natiuæ triumphatores fieri opportuiſſet. Securitas ipſa aucto inflata mento, quæ in patrijs titulis alienoque ſplendore lucem ſuam fundat, ex alto truditur, & tenebras per illam ſocordiam iniquâ metamorphoſi acquirit. Splendori Auſtriaco nunquam eiuſmodi tenor, vbi ne radio quidem vnico Recti & Honeſti in Hærede decreuit, imo tot egregiè factorum acceſsione ſuccreuit. Nouerat ALBERTVS bene fundatam virtutẽ vlteriori firmâſſe gloriâ, ſciuerat Maieſtatem, quæ aliquando prona eſt ad imminutionem, ſublimiùs erexiſſe, dum Solium ciuilitate & ſcientiâ rerum gerendarum, Legum iuriumque integritate geminís quaſi antijs ſtabiliſſet. Ex bono fundamento res vlterior non alia acta probauit, quàm vt felicior ALBERTI animus cenſeretur, dum in ſacra, ciuiliq; adminiſtratione, jurium propagatione, illo imperante, prudentes, fortes, Aiaces & Neſtores naſcerentur. Agnouerat in ſuis ceruicibus hoſtis ipſius magnanimitatem, dum ad triſtes Martis ferocientis tubas, ad inauditas non abſq; ruina duceretur choreas, ignoto ſibi eius Ducum choragio ad tumulum ſubſiliret. Nollem vocare ad calamum illius victorias, non enim capacitas mea eſt tanta, vt anguſtys obſtrepentis chartæ eas comprhendat quæ tot locis reportatæ, ex hoſtibus pluribus collectæ extiterant. Vritur hucuſq; ipſis eius cineribus *Salisburgenſium* audacia, quam faciliori niſu, armorumq; obtentu domuerat, & robore, ferociâ, ac viribus ſuis ſubnixam, ad humilitatem reduxerat. Peſsime & *Moguntinis* inconſulta temeritas

 ceſsit

cesſit, quæ non iam benignitate ſed ſeueritate, non oculorum clementi aſpectu, ſed armatarum manuum vigore ad reuerentiam eſt coacta. Gement & poſt annos *Theutones*, qui ſub ferali cupreſſo fortunam ſuam plorauêre, Auſtriacum verò nomen ſub immarceſcibili lauru, decantauere. Viuet ALBERTVS Bellator omni alio maior, & ſepulchralem neſciet iniuriam, qui duodecem præliorum victor, orbi ad ſtuporem, barbariei pauorem, hoſtibus terrorem, vlterius ſuo nomine & in poſteris effulgurabit. Iactet ſe *L. Sicinius* ob ingentem fortitudinē *Romanus Achilles* vocatus, qui centum viginti prælijs in hoſtem pugnauerat. Superbiat *Pompeius* tot Regum, & nationum Triumphator; nunquam tamen Alberto pari viuent memoriâ, qui ſemper victor virtute, fortunam comitem habuerat, quam illi in dubio Martis euentu incuſauêre. Non propter vſum, & peritiam ſolùmodo bellorum, quorum tractiuam vim, à RVDOLPHO Auſtriaco didicerat, ſed etiam propter igneam quandam mentis acrimoniam, propter illam rerum gerendarum dexteritatem, Iuris Ciuilis ſcientiam, omnium tentandorum peritiam, quibus ardua quæq; & nodis plena negotia facillime penetrârat, penetrata dexterrime ſuſceperat, ſuſcepta velociſsime promouerat, promota dextro Hercule expedierat, & ad amplificandam Gentis ſuæ famam, direxerat. Idem animi vigor ſueto iſtis Heroibus tractu trāſlatus in FRIDERICVM PVLCHRVM, qui viuido ſanguine per propagines hauſto tantopere ad excelſa & ardua non ſine difficultatibus aſſurrexit, vt diſsidijs ſeptemuiratûs obicem ſe poſuerit. Siniſtras in ſe non agnouit cæli injurias dum vota ejus diuite incremento maturauit, feliciq; eius ſucceſſu compleuit. Tempeſtiuè abſtruſos fallacis plauſûs laqueos diſſecare nouerat, & ſagaci ratione glomerantes in nodū Gordium technas præſcindere ſciuerat. Oedipo non inferior, qui malorum ſenſus, in ſuum Imperium contortos, candore, ſubditorum ad errorem deſciſcente reſoluebat Non defuerant illi ab altiori ordine fauores, tranſcriptam deſuper, in turbine ac bellorum Ciuiliū motu, inter diſſenſiones varias habuerat formam, non ita pridem à Prædeceſſore promeritam, quæ gratiore comptu in ſublunaribus ei facilitatem cōmunicârat; nimirum ne ſtrictè virtus in ſe ſola maneret, æmulum his procellis *Ludouicum Bauarum* oppoſuit, non vt diuiſum cum illo Imperium haberet, verùm vt ex hoſte virtutem ſuam ſolidaret. Majori ducebatur reſpectu cōmunis Boni, quàm priuati; dum non ſub auguſtis propylæis, ambitioſâ fumoſarum imaginum oſtentatione diſtinctis, ſed Orbiū ſupernorum injurijs, non in otio domeſtico, ſed in labore hoſtico, nō ad menſam cum Apolline, verùm ad ſtagna & rupes cum Marte, non

in ve-

in venationibus cum Augusto, piscationibus aureis cum Nerone, syluarum amænitatibus cum Pericle: sed in puluere Olympico cum Traiano, in ludicris cum Bellona, in certaminibus, & conflictu per integros quindecim annos morabatur. Prætulit, cum de patria ageretur, vmbones & casſides Coronæ, pilas militares luſui domeſtico, mucrones Sceptris: ita tamen vt & Majeſtas haberet ſplendorem, & patria integritatem. Haud dubia illi quamuis in ancipiti fortunæ euentu victoria, cùm hoſtibus ſuppetijs finitimis, diti apparatu confiſis, nunquam ſuccubuit, imo inter periculoſiſsima, grauiſsimaq; prælia, tam ingenio, quàm gladio decertauit, irruere in mille mortes eligebat, vt felices in pace horas, dies ſalutares ſubditi numerarent, & alacriùs in pericula, totq; diſcrimina prorumpebat, vt Imperium marcidos effugiendo ſingultus, tranquillum, ac floridum foret. Viguit hic Auſtriacus Splendor in ALBERTO II. ad virtutem, dignitatem & gloriã dato, qui Hercules alter cenſebatur, dum ad huc inter pueriles Bullas fœtidos angues ſuo Imperiò adſibilantes elidebat. Adhuc primo ætatis pubeſcebat flore, & iam ad Autumnũ cõmodorũ pro patria accelerabat, vix pedibus incedere, & iam manus hoſtilibus turmis inſerere ſciuit. Num alter Phœnix huic Achilli comes datus? quòd nondum in acie, & iam victor, adhuc in cunis, & iam Pentathlũ egerat. Infelix quod Parentem ipſo annorum ſuorum vere amiſerit: tamen felicitatem aliam nactus quod in cunis magnæ ſatelles famæ, magnam de ſe vniuſcujuſq; cordibus ſpem texuerit. Proficuus ille in crepundijs cibus, pro delicatiſsimo ei ceſſerat incremento; viuido namq; cognatæ virtutis ſucco ſemel innutritus, ingenti ſpiritu, Athlãtis ferme robore, animo heroico ibat in hoſtes, & quem origo purpurata ſublimi intinxit colore, vt ad formidoloſa cæteris bellorum terriculamenta nuſquam expalleſceret. Inuenies multos maturiori in corpore, qui nedum vulnera ſua, verùm & hoſtis infenſiſsimi videre nolunt, & pleriſq; ſuum ſanguinem aſpexiſſe ſcaturientibus venis ſatis fuit ad ſpirituum defectionem. ALBERTVS noſter, præducibus ſuis Majoribus, ad punctum hæreditariæ gloriæ talem ſe geſſerat in pueritia, qualem in prouectiori ætate aduerſarius agnouerat. Equidẽ priùs ad hoſtes virtus optime fundata Nepotis teneri, quàm greſſus penetrauerat, priùs infallibilis ſtrages, non dubia horoſcopantis fortunæ clades, quàm inſperata formido & terror animos perduellium inuaſiſſet. Modo primùm conjecturâ aſſequor, quid ſibi fata? quid fortunæ luſus cum illis velit; Patrui nempe cuſtodes primâ adhuc lanugine puberi dantur Infanti, vt inter illos ſecum diſsidentes, & de primatu digladiantes pupillus victoriam obtinuiſſet, quod non aliter

factum, quando grauissimis casibus, virili gressu annos pueritiæ, quantocius sub nouerca Fortuna prætergressus, grauis jure merito nuncupatus. Recepto paterno auitoque Principatu *Bohemiæ & Vngariæ* Sceptris intra annum insignis, per Coronas Regales, ad Imperatoriam, vnanimi voto, consensuq; vocatus peruenit. Optimè cautum Imperatorio æstimauit deposito, quod puerili tractu, sub remige virtute ad auitos honores veheretur. Non bene immeritis Fasces concreduntur, non securè ex alieno fulgore viuitur, meliùs illo impetu agi, qui per natiuas inspersus venas, gestorum celebritate coruscabit. Sistit in vlteriori circo sua tela Fortuna, nec quidquam nocere potest huic Nepoti, qui à primis curriculis, spretâ ejus ferociâ, non gentilitij Sanguinis tumens conchilio, sed proprio nixus feruore, eo genij bellici procedit circumactu, vt cum suo merito ad auctũ, tanquam Centrale punctum acceleret. Eam ego certè per ALBERTVM II. in augusto sanguine Austriaco normam regnandi suspicor, quem conjurati ætheris robur, coadunatâ virtuti gloria, gloriæ virtus, in vera effusæ elogia, ita monstrant vniuersis, vt fateamur eundem in *Polonia*, *Gallia*, *Hispania*, virtutibus triumphare. Delectauerat aliquando non vnum ille animus Epaminondæ, qui tum denique sibi auelli spiculum jusserat, posteaquam ei percontanti dictum fuisset clypeum saluum, vt etiam in vulneris dolore, æquo animo cum laude obijsset; verùm longè præstantiori modo delectare potest Austriacorum vigor, qui à primo illo in hostes impetu ita feruet, vt ejus oppositu & Arx summa Orbis, Roma, hostes intrepido spectet animo, & sacræ ædes optatis successibus perfruantur. Feliciora sunt ejus, quàm Agamemnonis scuta, sub quibus considere omnibus tutissimum vtpote ad expellenda pericula, ad submouendos hostiles impetus virtute illorum Numinum comparatis, nec tantum puto audaciæ assumeret hostis contra potentissima hæc arma, quæ vbi nictant, ibi nec assurgere iterum cuiquam concederetur, periclitari namque cum vspiam difficile, cum quo artifex in Corona DEI manus pugnat, & adlaborat. In ALBERTO II. verissimum apparet testimonium, quod semper conscientiæ fides posteritati vsq; perhibebit, ei quippe calamus haud potest esse par, qui ejus pace & bello gestas, domi & foris expedita negotia ex Throno & tentorio porrecta consilia, ore & gladio cumulatas, laudes, justitiam omnibus imitandam, fortitudinem hostibus metuendam dignè vnquam prosequeretur. Sciuit à pietate firmissimè Regna inchoari, quæ ille hac virtute Prodromâ felicissimè administrauerat, atque isto munimento Imperium vallauerat, vt ad illud accedere, tam latè calcata vestigia obterere, nulli

vnquam

vnquã hoſtes præſumpſiſſnet. Sũpſerat ſemel auſus & arma *Amurathes* contra *Auſtriã Auſtriacumq;* ſed ne *Gigas* contra *Herculẽ* eodem temeritatis & audaciæ luit pœnas, quo tempore cum ſua potenti manu ad eius fines acceſsit. Voluit cum toto ortu hæc *Ottomanica Luna* cornua ſua ad exterrendam Europæ magnitudinem extendere, ſed in meridie fatalem Eclypſim paſſa, & quæ ſplendore alieno arſerat, ſuum de toto amiſit. Mirari magnam ſe tum temporis deſtiterat, quæ mendico defungi obſequio ſolita, cædibus illis & ſanguine infamis eſt promulgata. Attonita illic hæſit, quando ſui lumini inſiſtentem Aquilã aduertit, nutauit Splendore Auſtriaco collucente, ceſsit retro fortitudo, quæ Hungariæ oppreſſum Coronam aduenit, ALBERTI Imperatoris manu conſpectâ, an auditâ, vecordi fugâ virtutem cum rubore eliſit, ſuam inculdendo pedibus ſecuritatem. Facili modo Aquilis cum Sole certare, & ardentes eius inconniuo oculo radios ſuperare, edoctæ minus hoc Sydus Ottomanicæ ſuperbiæ obuelarunt, & cum tutè ſepijſſent Thronum, vigileſq; verſando in orbem oculos excurriſſent, hanc Phæbem tortuoſam cum lugubri ſqualore retro egerunt. Hoc duntaxat damni cum ſuſpiriò *Turca*, victoriæ inuidus alienæ ALBERTO reliquit, quod Imperator Inuictiſsimus, de imperatore ipſo rumore & formidine victo, integrè triumphare non potuiſſet, ſiquidem ſolutâ, ad ipſam accelerantis Chriſtiani exercitûs famam, obſidione, ditionibus Hungariæ inglorius exceſsit, erupit, euaſit. Mirabitur orbis magnanimitatem Imperatoris & induſtriam; qui ſuo exercitu omnia ſalua, integra in Imperio ſuo ſeruauit, hoſtiũ denſiſsimos cuneos paratiores ad cladem, quàm triumphum, in fugam turpiſsimam, ac latebras coniecit, non potentiâ aliquâ, aut armorum fragore, ſed cæli injurijs, in ipſo Martis puluere dum inuictus occubuiſſet, Auſtriadum nomine, virtute, memoriâ omnibus exemplum reliquit, non domi aut in finibus expectandum, ſed in patentibus campis hoſtem eſſe quærendum. Hîc iam ad nouam ſeriem Splendoris Tui SERENISSIMA REGINA meus calamus approperat, eò lætiori conatu, quo ab vtraq; Maieſtate ſperat ſe illuſtratum iri. Auet animus, dum memoriã Tui auſpicatiſsimi cum MICHAELE, REGE noſtro Clementiſsimo vinculi FRIDERICVS II. Romanorum Imperator mihi repetit, materiam innouat, quam ex conjunctione hac veſtra junctis à tempore tam longo cum præſenti, periodis implere, ac poſteritati tradere mea mens ferbuiſſet, ni KORYBVTORVM Sanguinem cum Imperatoribus Romanis, Atauis Tuis, cælorum deſtinatione, fœdera matrimonialia contraxiſſe, haud quiſquam ignoraſſet, quæ dum in Maieſtatibus veſtris hodie ſunt in æquali Throno

 confir-

confirmata, gaudendum mihi potiùs corde, quàm ampliandum chartâ existimo. Lucrabatur toties Polonia, quoties Solio suo ex Tua Augustissima Domo Reginas adsciscebat, neq; abs re felicitatem magnam sibi adscripsit, magnis Coronas suas mentibus porrexisse, quæ tantarum virtutum successus induerent, in vnum pactum amplitudine Decorum & fecunditate Regnorum assurgerent. Sed nunquàm feliciorem se jactitet, atq; hodie, cum tradito, Clementissimo MICHAELI Solio, ad idem exornandum Te Sociam inuenit. Fortunæ sedes profectò in Sceptro Sarmatico nunc locata, dum paribus animis eisdem manibus, quibus in FRIDERICO II. KORYBVTORVM & AVSTRIACORVM amicitiæ, in vnam Bonæ DEæ mentem, fascijs æterni amoris, ac sacrosancti vinculi combinatæ sunt, regendum porrigitur. Fauorabiles in patriæ bonum, per Orbem Polonum luce hac auspicatâ sphæræ rotantur, quas KORYB: & AVSTR: Heroum reuolutus per ætates ac suppares virtutes Sanguis consignat, & circumit. Nouus sese nobis, cum omnium felicitatum rotatu Zodiacus aperit, non Arietis, Tauri, & belluarum, sed virorum, Imperatorum, Regũ, Principum, qui per dictos Augustissimarum Prosapiarum Cyclos ac Deferentes, in vnam delati Majestatem, miras cognatæ antiquitatis ferunt conuersiones, ex quibus quot in votis nostris concipimus (Deo Auspice) stirpis Decora, tot propitia Terris astra, spes est, quod euoluentur. Sit ex se cœlis gloria, quod ex illo ditissimo armario, beneficia sublunaribus redonent, & licèt aliquando ad vota nostra non sint clementes, tamen sereniori tempore nobis paria augmenta refundũt; at ex nobis quoque summas hodie præcones laudes recipiant, quod in Sinus Augustissimos Sceptra Nostra deposuerint. Sint & Tibi FRIDERICE humillimæ grates, quod illo tempore amplam seriem præsentium Majestatum Nostrarum feliciter inchoaueris, ex illa *Cæcilia Korybutæa*, quæ summos Imperatores, & Te primum illorum, Orbi prodidit. Tu verò quàm feliciter & sapienter rexisses Dominium, mea non valet describere hyperboles. Vtraq; Cæsar fuisti, & à pacata patria, & à Gentibus deuictis *Pacifici* Nomen es sortitus, sciuisti odia restinguere subditorum, non arduum Tibi fuerat in aduersis processus, in secundis moderamina conseruâsse. *Fabium* Te totum, & *Scipionem* efformasti, dum cunctando Imperium tuitus, pacatiùs illud reddidisti, & hoc est Regium sine sanguine Thronũ possidere. Celebretur ille Cæsar, quod per hostile tabum toties suos gressus egisset, quod vndecies centena nonaginta duo millia hominum vitâ priuâsset: crudelitatis ista sunt, nõ clementiæ, Tyrãni, non Monarchæ. A recta ratione deflexisset, quisquis crudelem, & impium bellatorem

Pompe-

Pompeium cum iniquis æstimatoribus laudâsset, illasq; in delubro Mineruæ inscriptiones, vicies semel centena octuaginta tria millia occisa, fugata, & in deditionem accepta, legenti porrigentes, approbâsset. Obliti procertò fuerant, hi sanguinolenti Imperatores hanc veram esse viam ad consequendum gloriam, imponere frenos cupiditati suæ, imperare affectibus animi, neq; ob res feliciter gestas insolescere. Latiùs suam mundo extendissent famam, si Æneæ Syluio paruissent, qui magno cruore partam victoriam, pro victoria nō censendam esse affirmauit, cuius rei gratia prudentiæ laudem promeritus magnam *Alphonsus ille Rex Aragonum* fortunatissimus, qui lauro & auro notanda singulis Bellatoribus verba reliquit; Rectiùs nimirū esse triumphandum ob hostes seruatos, quàm internecioni deditos. FRIDERICVS ad maleuolas Principum, subditorum mentes, ad perditissima dissidia feritate non est vsus & potentiâ, sed carptim sensimq; diminutis eorum viribus ad concordiā cunctos mutuò fecit venisse, saniùs judicauit externis obrui armis, quàm ciuilis odijs theatrum domi videre, quod quia exitiale, cum eo corruit quoduis Regnum, & bis cadere censetur. Non cecidit vnquam sub FRIDERICO, qui annos tres & quinquaginta in pace & securitate tam salutis suæ, quàm patriæ Imperium administrauit. Sstetisset hîc *Augustus* nihil cum *Friderico* subl:miùs in Majestate habuisset, cui par regendi peritiâ, imperandi diuturnitate superior. Liberaliùs tanta vt eluxisset virtus, omni coæquata gloriæ, translata in MAXIMILIANVM. I. cujus Augusto vertici pietas cum splendore dedit Coronam, dites cælorum manus fecundâ auxesi texuerunt, & per larga beneficiorum Defluuia transmiserunt. Non nomine tantùm hic Imperator Thronum prehendit, cuius nomen ante ipsam lucem cælesti dono illuxit, re sui temporis Regum MAXIMVS MAXIMILIANVS, titulum gessit, qui molem rerum à se gestàrum Orbi præsentauit. Firmauit Imperium suum bellicâ prudentiâ, dum toties è maximis difficultatibus sine tamen difficultate illud explicuisset, stabiliuit Solium sapientiâ, dum literas iam ad vltimam barbariem inclinatas, Europæ in se beneficentissimo Mæcenate restituit. Dederat vitam Regno, juuentuti mores, vrbiq; formas, honorem dicendi Magistris, dignationem sapientiæ Doctoribus, dum sub eo spiritum, sanguinem, & domicilium studia recepêre, quæ ante eum, negligentia exilijs mulctauit. Habuerat illas & ipse in reuerentia, complexu, oculis, & auribus, tantumque dilexerat, quantum ab ipsis probatus fuisset, vtramq; complexus artem, quæ locat vnumquemque in amplissimo gradu Maiestatis, & sine qua nec Constitutio Rerump: nec bellorum felix certamen,

nec Regum Dominatio rectè expediri possunt. Per hanc magnificum illi fuerat, Ciuibus Iura, Incolis leges, fugam hostibus & fatum præscripsisse, speciosum per immanes campos, sellâ curuli & Apollinis sede, victorisq; vestigio terram pressisse, imminuisse, ripis minacibus tutum iter reddidisse, barbarorum fremitus spreuisse, hostilem terrorem non armorum magis, quàm togarum ostentatione compescuisse. Reuocauit pristinum vigorem sapientiæ acquirendæ, quæ antea per conclauia & loca angusta quærebatur, quâ singula mala ex Regno expelluntur, & bona adducuntur. Quis enim Libonem promouet, aut fouet? idem quieuertit, quis authoritatem summam tribuit senatui? idem qui per eruditas Leges eum relinquit, quis Chaldæos consulit aut Magos? idem qui ex vrbe eos eijcit, atq; auersatur. Quis stultitiam euitat, Imperium ampliat, Majestatem erigit? idem qui literas fouet, reuocatque, quarum beneficio aliter cum Thrasimacho, Platonis vulpem, aliter cum inuictis Ducibus indolem & animum Leonis quisque præferre potest, his qui per vitam exsudat, posthumis eius facta & virtutes madent profluuijs. Non mediocris MAXIMILIANI I. auitæ militiæ Restauratoris, hoc ex fonte prædicatio & adorea præteruehitur, quod in sua vita per hoc insigne facinus nullum punctum temporis aut præclari operis sterile, aut vacuum laude fecerit fidelissimè, non alia major eius gloria cum præmio, quàm quod in gratias agentium cordibus, in illo sapientiæ oraculo viuet, quiescet, Triumphauerat de hostibus per gladium, sed victor per Lycæa deprædicabitur, enarrabit sera posteritas alijs gloriosiorem procul dubio ejus laudem fuisse, quam, prudenter extinguendo conjurationes Principum, non satellitio sed industriâ, non sanguine sed virtute, continuauit, rariùs illo Imperante quispiam gladium vaginâ prope vacuum viderat: maximum tamen victoriæ fructum decerpserat, In illis namq; quotidianis conflictationibus atque æstu dissidentium animorum quam probâsset animi constantiam, quæ commoda Imperij, admirabili suâ sapientiâ reddidisset, qua fide, felicitate, robusto pectore ampullatos, & nimium in rebus suis tumidos, ad reuerentiã flexisset perduelles, quis aut Eloquentiâ, aut sagacitate tantum valet, vt id eloqui possit. Opposuit fraudibus prudentiam, temeritati patientiam, ciuium simultati fidem, per quod limites suos ampliauit: Nestori simillimus comprobatus, cum multorum inimicitias intolerabiles, odia acerrima, dissidia atrocissima in omnibus negotijs temperauit. Durabunt hæc æternitati defixa multarum victoriarum in bellis & animis Incolarum monumenta, vigebunt trophæa, in nomen Austriacæ Gentis, ad Splendorem Tuum O REGINA? ad famam &

recor-

recordationem, Vestræ gloriæ immortalitatem. Lætior exinde mēs, gratior oculus assurgit ad CAROLVM V. Religionis Austriacæ, pietatis auitæ acerrimum cultorem, ætatis nostræ, ac omnium seculorum jure Magnum, verè primum Principem, Ponderet hic quisque, & tā præteriti, quàm retroacti temporis felices victorias, res prudentissimè factas ponat in lancem, quantis Austriacæ Aquilæ de hostibus spolijs claruerint, quantis Corona illa ex CAROLI Majestate laudibus fulserit, certè virtus quo vltra ascendisset non habuit, quæ ante lituram, & corporis ætatem effota, præter rationem humanam, tam citò enutrita, validissimos tam in campis, quàm Laribus, tam in prælijs, quàm triumphis difficultatum sensus ita distinxit, vt temporibus stupere solummodo, ac obstupescere superfacta permisisset, calamo autem admirari. Prænuntium illud futuri Splendoris quisq; in illo aduertere potuerat, dum ante decimum sextum ætatis suæ annum *Belgicas* Prouincias suæ potestati subegit, in illo flore, ex vere ad æstatē Adolescentiæ transeunte, Regna *Italiæ & Hispaniarum* possedit, Imperijq; Romani decimo octauo anno habenas suscepit. Dixisses ab illo multum dignitatis ante tempus acceptum fuisse? at ne minimum quidem, dum tam maturam virtutem, adultam mentem, Splendorem perfectissimum Regnis, & Imperio attulisset, adeo, vt plura visus dedisse, quàm accepisse. Ingens me hercle spiritus, animus Diuino quodam beneficio dotatus, qui mirabili magnanimitatis & virtutum artificio, tot augmenta sustinuit, & illorum Regnorum ipse semper idē, fortunam capere non nequiuit. Ille verus Patriæ Pater, ac murus, ille terror hostium, vasticies ac fuga, quos aduentu solo sæpe, imo nomine ipso difflârat, qui virtutem campis suis implantatam semper comitem, inter pedissequas fortunam habuerat, qui procellas omnes, ac fatales Regni tempestates Majestate nominis discusserat, prudentiâ sedauerat, cuius solas cogitationes Oriens vt olim Pompeij, & Occidens tremuerat. Hic Parens omnium subditorum, authoritate, consilio, omnes longè lateq; patentes vias reclusit, portus aperuit, diuersasque gentes ita commercio coadunauit, vt quod genitum esset vsquam, id apud omnes natum esse videretur. Fortissimus contra hostes, acerrimus propugnator Senatûs, Defensor subditorum voluntatis, Patronus publici consessûs, Restitutor salutis ac integritatis, Philopæmenis Principis doctrinæ imitator, qui prudentiam, ac omnigenā disciplinam transtulerat ad vitam, nec sibi tantùm ac otio sed vtilitati Patriæ, commoditatibusq; suorum sapuerat. Omnibus Mobilibus mobiliorem esse sapientiam ex oraculo accepimus; hæc enim licet immota in se nec ad opinionem flexilis; ipsis tamen temporum

momentis ita accomodatur ac seruit, vt cum eis volui videatur. Hæc in CAROLO admirari iustum est, quæ ad defensionem Patriæ, ad æternitatem animorum, ad præmia fortium hominum suis exemplis, suis rationibus mouebatur, legem dabat ipsa quidem, sed & sequebatur, neq; Majestatis suæ injuriam rebatur ea jucunditate regendis præesse, vt ipsa vis, quâ singula reddit sibi obnoxia, & ad intentionem suam veluti trahit, esset potestas simul & obsequium. Par in vtroq; Architæ, Xenophonti, Pericli, Fabijs, & Marcellis Cæsaribus, qui cum sapientiæ studijs claruissent, etiam belli fulmina extiterant. Ita gestabat Coronam, vt hostes immortalitate eum honorarent, quem si Hectorem in prælio, Nestorem in suffragio dicerem, parum dicerem, qui numero & pondere victoriarum, prætergressus Herculem, & prudentiâ Vlyssem, dum manus eius tot virtutibus domesticis & bellicis armata, plus vltra semper attentaret. Non sufficiebat ipsi Hispaniam, quæ nõ ita pridem grauibus inter se furebat bellis, sedare, Germaniã, Italiam, & Belgas defendere, Galliam territare, Africam expugnare, sed ad Americam vsq; felici nisu, & gradiuo Marte peruenire. Orbem totum, (quod ab eo vix capi potuit) tot victorijs, & laudibus cinxit; ita in omnes partes capacissimam mentem conuertebat, vt per hunc vnũ tot diuersos populos, gentes varias Imperio Austriaco, in adorationẽ cessisse crediderim. Non potuit quidquam audere *Solymanus*, prælioq; decernere, vel ipse *Tunetanus* optimè sibi consuluerat, in feudũ ac stipendium se totum tradidisse. Gemuerat & *Gallus* eius robore debilitatus, verùm & *Saxo* cũ suis auxilijs debellatus, vltro victas vinctasque manus ei porrexit. Omnes vel libertate, vel Prouincijs, vel famâ minores, virtutibus & factis minimi, fortunam eius adorârunt, de qua non infortunatè ipsis in cladibus, & atrijs triumphauit. Semina illa Austriacæ virtutis, quæ à Prædecessore accepit, eaq; circa ipsum cognitæ rationis florem in acie Martis, in vmbra Chironis iecit, in publico multis expeditionibus pro patria maturauit. Nullus locus inuentus, ad quem fama ejus non peruolâret, siue te conferres ad maria, illic te CAROLI, amplitudinis Hispanæ Authoris, & Regũ ejus gentis Prototipi, virtus & gloria comes imo Prædux expectaret, quæ plenis per vada sinuoso vocis bellicæ impetu, omnes inuidiæ metas prætervecta, meauit vorticibus: siue alicubi terrarum fines ac terminos pertransires, vbique illius famam volitare, perciperes: siue demum ad loca deserta & inuia te conferres ac ibi vel maxime rupes concauas, & reddendæ tuæ voci idoneas reperires, vbi Echo sine intermissione prouocata hucusque sonos trophæorum Imperatoris iterat, & vltima verba victrix concipit, ne prius videatur conticere. Abolitio nunquam co-

gitanda

gitanda, cui eadem periodi, quæ principij fuêre rudimenta, eadem fortitudinis, quæ & vitæ initia, anniq; eius tam ad virtutum, quàm ſyderum curſum ac ambitũ exacti, adeo, vt poſt tot abſoluta in Imperio luſtra, altior majeſtate ſuâ euaſerit, cùm viuus Imperatoriâ exutâ purpurâ, ſacro cœlum otio expugnârit, forſitan ideo, ne, qui multas debellauit gentes, plurima in Solio æternùm perennatura cum laude expediuit negotia, ſe inexorabili Parcæ auguſtum Spolium reliquiſſet. Satis magnificum pectus, cum injuria ſuarum virtutum, non recedere; qui enim quadraginta in Toga, & Sago, terrâ mariq; expeditiones, Patriæ ſuæ, & Reip: cauſâ ſuſcepit, in vna cadere ingloriũ duxit, quas Maieſtati illiſas potius eſſe maluit, vt ibi æviternè clarerẽt, in ſe vno non extinctæ manerent. Pluribus immorantem, dies me forſitan defeciſſet, quàm materies laudum tanti victoris: ſed abuti patientiâ Tua REGINA SERENISSIMA non eſt æquum, notaq; referre injucundum ſcienti: ſed quia auet animus ad ea reuocanda, quibus inſpiciendis vna contemplatio non ſufficit, lentiori manu ad FERDINANDVM I. deſcendo, qui itidem per Sceptra *Hungariæ, Bohemiæ, ditiones Ducatûs Sileſiæ*, cum illa *Anna Vladiſlai horum Sceptrorum primi Geſtatoris Filiâ, & Ludouici Sorore* ad Imperium Romanorum deſcendit, cui geminam ex duplici Corona Solis, domeſticæq; gloriæ lucem addidit. Rectâ, imo plenâ in Auſtriacis ſcaturigine ad Majeſtates, ditiſsimo virtutũ dignitatũq; alueo fluebat hæreditas, & ex vnoquoq; Thronus limpidiſsimo factorum egregiorum ſpeculo gentibus ac populis, ad ſtupendum expoſito lucidioribus radijs orbem incolorabat, neq; vnius deceſſu deſinere poterat, qui ſuos pridem deſignatos habebat proprijs Decorum cenſibus, ac geſtorum eminentiâ clariſsimos Succeſſores, in quibus ſingulis, animi vis incredibilis, labor inſuperabilis, fortitudo & ſplendor in Europa excellentiſsimus, pietas natiua in DEVM, & patriam eximia, quã vlla pars mundi non ignorauerat. Feliciter ergo ſucceſsit Imperio *Ferdinandus I.* & eò feliciùs, quò à Fratre illud accepit, alium certè ſupparẽ tum inueniſſe ferendo oneri haud fuerat, ne tã admirabilibus Anteceſſoris Solium ampliatũ virtutibus in alieno ſanguine viluiſſet. Oportuit, & decuit vnius animi in Theatrum inchoari, imo cõfectæ magnitudinis deſignari pectus, quod cuncta, quæ ad Majeſtatem illã ſpectârunt, nullo commotum pauore expleret, & ita efficeret, vt non dimiſſum à Fratre Imperium, ſed in Fratre floridum, & vivax teneret. Ac ne quidem vigor ille euaneſcere potuit, qui per Auguſtiſsimi Sanguinis fibras diffundebatur, & prout in vno, ita in altero ferueſcebat. Non erat vel vnicus, qui FERDINANDVM votis ſuis ac honore

dignum inuentũ esse non proclamaret, cui semper Fraternus calculus, & illa, quam nullus hominum ponderare valuit, Majestatis æstimatio accesserat, neq; (ita sentio) purpuram deposuisset CAROLVS, nisi parem Fratrem pro ea aduertisset. Quod omnium oculis breui innotuit, dum pacem publicam, multis bellis Germani partam vnicè dilexit, conseruauit, non minorem ratus virtutem parta tueri, quàm quærere. Latiùs Clementiam in necessitates communes ex suo altissimo apice diffeuit, vt potentiam omnem, è maleuolentia & sanguinis rubigine abstergeret: longiùs Splendorem Majestatis ad Ciuium amorem demisit, vt luce ejus circumfusi, commoda suæ libertatis connecterent, vtilitates tranquillitatis colligerēt. Florebant illo imperante omnia per oras Prouinciarum, per domos Ciuium, nullus securitatis suæ indigus, nullus opis jeiunus, cuiuis pacis Princeps, consiliorum Arbiter, datæ fidei fortissimus Custos, æquissimus Iuriũ Assertor, rectissimus commodi æstimator, fructus bonos per coseruationem porrexit, quos sapore boni publici, ac salutis communis condijt, maluitq; è suo quidquã perdere, ne commoda publica jacturam subirent, ideoq; munificentiæ ingenio, indigentiorũ necessitatibus adlaborabat, domos vacuas, liberalitate contrahebat, casibus succurrebat, atq; omni studio laborabat, ne quis è subditis se Dominum magis atq; Parentem sentiret. Lætissimum oculis eius fuerat, conspectu Ciuium impleri, vt iam omnes Patrem munere liberalitatis experirentur. Et certè nullum est Magno Principe (qui vniuersis gratiam suam appellantibus vna ratio est) genus impendij dignius, nulla regula, quâ immortalitas obtineri possit, prior & certior, quàm Clemētia & liberalitas, de quibus in FERDINANDO celebrandis si omnes ex omni ætate communi studio suam facundiam conferrent, omnia tamen harum virtutum valore inferiora dicerent. Occurrunt hîc plures in hoc Austriaco Splendore laudis & gloriæ summi Imperatores; occurrit inquam MAXIMILIANVS II. in quo vehemens virtutum maximarum riuus, pleno meritorum fluens tramite, ad ingentē Principum, & Patris sui torrentem prominuerat. Non degener in firmanda Majestate, & in pace per innatam fortitudinem conseruanda. Inualuerunt quidem ante prima ejus auspicia rebellium æstus ad sanguinis proprij imminutionem detumescentes, sed eos Summus Imperator prudentiâ suâ ita in herba suffocauit, vt intra modestiæ metas se continere, & ob reuerentiam pænitentiamq; frigere debuerint. Egregium moderamen bellicæ disciplinæ simul bellicæ adhibuit, vt difficile judicatu esset, num se in bello animosiorem, an in pace moderatiorem, hostibusne formidabiliorem, an suis amabiliorem, fortio-

remn

temne contra rebelles, an clementiorem in victos ac proſtratos commonſtrauerit. Per aſſuetas ſemper pietatis auitæ errabat imagines, nihilque magis memoriâ tenebat, quàm tardas manus ad vindictam, veloces ad miſericordiam habere, non pro errore aliquo ratus ad ſe injurias poſſe peruenire. Pejus cane & angue in aula ſua linguas Harpalorum fugiebat, ſeruilis ingenij inuenta è ſincerorum conuictu proſcribebat, nihil magis quam veritati cum candore ſtudebat, & (quod ebore incidendum) triſtem neminem Curiâ egredi ſinebat, ſecus ipſe hilaris eſſe ignoraret. Dextro progreſſu & laudabili arte immenſa gratiæ & beneficiorum erga Patriam eſt teſtificatus argumenta, dum eam ſaluberrimis conſilijs, authoritate, ſapientiâ, muro velut aheneo, & inexpugnabilibus præſidijs firmâſſet, quibus ſalus & integritas pro omni æuo, ac poſteritate durauiſſet. Nouis ex *Solymano* victorijs cinctus, virtutibus vndiq; cõſperſus, quas ſemper illius licitatis vltimæ ſequeſtras habebat, amore ſubditorum, affabilitate Senatorum circumfluus, Auſtriadum famam ĩmortalem, morte ſuâ declarauit. Similibus ad conſeruationem huius perauguſti Nominis viribus contendebat RVDOLPHVS II. quod alios non ambit Hæredes, nec conſonas voluptati mentes ad ſuam canitiem deducit. Multi magnarum rerum gloriâ, quam domeſticus Splendor prius æternitati comparando, conſecrauit, laborem & diligentiam deſpumant, rati duraturum ad præſens Majeſtatis ſuæ tempus, & futuram poſthumæ memoriæ famam: at felicitati plurimum ſubducunt Gentilitiæ, dumq; non properant ad augmentum gloriæ, vertiginem fortunæ vel in ipſo Stemmate conſpiciunt. Rarò hæc in otioſis Nepotibus floridam ſe præbet, potiùs ſenſus omnes infringit, conquiſitaque à tot Heroibus Decora ignominia vnius anteuertit. Abſit hoc à RVDOLPHO, qui Parentum glorioſum Nomen, cum omni feruore & conatu, virtutum ſimulacris promouebat, & Marte quæſitas victorias ad ſeram poſteritatis momoriam ſuis identidem victorijs tranſmittebat. Maneat in alijs maximũ dedecus, defædare hoc, quod venuſtũ acceperunt, in RVDOLPHO procul hoc abſit, qui ad Majora, quàm Majorum effecit labor, contendebat. Non vltimæ felicitatis agonẽ, & terminum hunc ſibi computauit, quod Imperio ſucceſſerit Paterno, quòd bonorum amplitudinem, copiarum vim, potentiæ magnitudinem, ſubditorum frequentiam, cenſuum coaceruationem, diuitiarum molem, ſupellectilis totum apparatum, menſarum delicias, popularis auræ voces, Coronæ demum, quâ nihil locupletiùs offendit, Majeſtatem; verùm ex virtutis Imperio, aut potius ornamento, in hoc elaborabat, vt Magnis, Felicibus, Maximis æquior euaderet.

Euaſit certè, ſuâq; induſtriâ, non alieno merito quæſitū Nomen ade ad vaſtas ſpes deduxit, vt quemadmodū à RVDOLPHO I. Splendorem ſuum AVSTRIA acquirere incepit, ab hoc II. lucem accepiſſe videretur. Deprædicabit Orbis illius in regendis Ciuibus juſtitiam, fidem atq; moderationem, cum hoſtibus fortitudinem, quam vel ipſe *Ottomanus* in ſua ceruice ſenſiſſet, ni illud tam inter Imperatorem, quàm Conſiliarios ſuos obueniſſet. Admirabitur in ſacris fidē, fiduciam erectam, renouatas locorum ruinas, in Ciuitatibus, vrbibus, & Regionibus reſtauratum Cultûs Diuini Decorem. Paruam quidē huius vitæ terreſtris abſoluit ſtationem, ſed magnam, reducto ejus virtutum immortalium ſpario quiſquam aduertiſſet factorum tranſactionem, non annis, ſed momentis ſupputabat actionum Numeros, quas itidem non terræ, ſed cœli regionibus terminabat. Libeat hîc ex famæ Auſtriacæ opulentia vlteriùs calamū adaptare, & longioris moræ, quæ ex Te vel hodie SERENISSIMA REGINA in nos omnes prominent carpere ſolatia, virtutumq; non ad calculum, quàm vnicam chartā vocare Splendores, quibus vel MATTHIAS I. Romanorum Imperator ad ſumma quæque & optima natus, Majeſtatem ſuam, Ciues, ac Patriæ vniuerſa loca ſerenauit, ſenſit hos ab initio ſtatim radios obcæcata in vera fidei luce Hæreſis, quæ dum Principē poſtularet, flammâ & Saturno vehementiorem agnouit. Conteſtatus in ipſo Imperij limine ſuam fidelem, ac eximiam, erga Patriam voluntatem, oſtendit ſe veræ pietatis hæredem, dum contra inſolentiam ingenium, in ſubitis caſibus conſilium, in aggrediendis induſtriam, in perficiendis felicitatem, in reprimenda maleuolorum audacia facilitatem, imperterrito animo in ſe & ſuis excitauit. Nihil ei fuerat tam durum & acerbum, ita inſolitum & arduum, quod non pro vſu & Majeſtate promptè expediſſet. Acceſsit ad Thronum, veluti ad eum natus, non Tyro, ſed perfectiſsimus Athleta, cujus indoles ad publicam, multorumq; commoditatem cœlitus data, grauis illius *Æſonis* maturitatem, *Alexandri* peritiam, *Leonidæ Spartani* robur viſa præſeferre. *Ariſtarchi* judicio ſummè claruit, dum publico bono, & communi intentus concordiæ, priuata fœdera decreto ſuo reſciderit, Elaborabat, vt illā nociuam Chriſtianitati peſtem, ab Imperio, Ciuibus oppreſsionem, à templis impetitionem, à fide flammam extingueret; ſemper ante ejus conſpectum Diuina lex verſabatur, coluit juſtitiam, fidem tenuit, dictis & factis illibatam, confirmauit Religionem, refrenauit denique præſumptuoſorum hominum odia, & impotentes obtrectationes, ſolius Patriæ charitate ductus; nam nulla poteſt inueniri illuſtrior beneficij amplitudo, nulla in lucem dari

quecunq

queunt munera, quàm cum omnium seruiant vtilitati, & nunquam à suo Domino auferuntur. Fortunæ rotatui opes subiectæ sunt, deflorescunt honores, diffuũtur amicitiæ, defluit vita, mors omnia confundit, vetustas tabida cuncta consumit, sola patriæ charitas, prudentia, religionis cultus, & quæ ab his proficiscuntur, immortalitatem sibi vendicãt pretiosam. Frustra quis vibrat tela in Dominos, perfidorũ lubrica brachia inaniter armantur, frustra curta potentia animat, annõ longas scitur Regibus esse manus? breui perjurus sarissas, quas acuebat, in se experietur, & qui struebat technas, fouebat foueas, ipse incidet in eas, illaq; malitia, quæ deliberato contra innocentem ruebat impetu; furorem alium conuocabit. Non errauit virtus vlterior inchoatæ felicitatis in FERDINANDO II. imo amplior lux per immensa terrarum spatia resplenduit, majori ipsum fortuna exposuit per victorias admirationi, dum ab excessu MATTHIÆ, per varios casus eum jactauerit, & ex puluere primi conflictûs se deuictam ab illo luctuosè fuerit professa. Triste ab initijs exposuit ipsi choragium, verùm tristiores in majori armorum choro est experta choreas. Progressus illi lugubres per irruptionem in *Germaniam Gustaphi Adolphi Suecocum Regis*, quid aliud portendebant? quàm victrices ex subsequentibus triumphis Lauros, & quamuis nulli ad Coronas ita fidem manumq; apposuit honor, vt non titubauerit aliquando: FERDINANDO tamen II. ita arrisit vt ex præcedenti motu, longiorem in vertice ipso solidaret tranquillitatem, firmaretque. Hæc vis namq; datæ à DEO potestatis in subditos, hæc infelicitas subditorum, vt ex ingratitudine sentiant Dominos, & lapsu grauiore ruant, dum eorum gratiâ vti ignorent. Quid non tentat ambitio, bonum sibi auguratur, & rectum non inspicit, æternitatem sibi largitur, & præsens hora cum quibus fluat sequelis, non trutinat, aliquando ortum solis non expectat, & intempestiuâ nocte, intentione cuncta possidet, in vanum abitura. Sperat, aspirat, dominandi opinione sibi plaudit, arroganter inescatur vento, ideoq; cum sua leuitate terras peragrat, vbique regnat, nullibi certa quiescit, ad quod suus Cupido dulcore quasi flabello illam accendit, cum tamen sæpius deperit, & ob fallaces spes in seipsa extinguitur. Hæc animum *Fritlandi*, FERDINANDI Ducis occupauerat, & affectanti nimium, sed maximè sui impotenti Coronam, per Bohemiæ inuasionem promiserat: ast quam dispar exitus acta probauit, en qui ex officio debuit esse Defensor, erat proditor, nec diu inulta manent scelera, confirmantur FERDINANDO Prouinciæ, *Fritlandus* ab immisso percussore, vindice ipsa *Nemesi*, in Arce amica necatur. Sic, non aliter pietas

Imperatoris bella gerebat abſque impenſis, abſq; jactura prælia committebat, acies ſine vulnere fundebat, arces ſine fatigatione expugnabat, ſine periculo vincebat, in triumphos ſine præſidijs aſcendebat, & ſine omni procella imperabat, eius quippe principium, à cælo firmatum, vinculum cum ſuperiori orbita colligatum. Hæc virtus vbiq; patrocinatur, nullibi deſerit, artium in vtriſq; caſtris propugnaculũ, Ciuitatum defenſio, Regnorum murus, mundi totius fulcimentum. Ter itaque felicem FERDINANDVM, cui cum fœnore illam confuſionem primam in Regno Bohemiæ, per victorias & triumphos *Hungarorum*, *Bohemorum*, *Germanorum*, *Dacorum*, *Suecorum*, *Gallorum*, pietas reſarciuit. Optima præludia, quæ compendio nouus Rex, extra mentem fatorum peregerat, ac totam fabulam hoſtium, & prædonum ruinis, ſua verò felicitate & virtute contextam explicuerat. Europæ totius populos, illas ſuppetiarum formas, in ſocietatem belli impetratas, vno caſu Bohemiæ obruit, legiones palantes non ſua ſeueritate, ſed earum audaciâ ac temeritate, terrore ſparſo proſtrauit, inſatiabilem dominatûs orexim ſuffocauit, & liberos domeſticiq; ſolummodo patientes vomeris campos, ad iuga ſeruilia vocauit. Hi ſunt ambitionis effectus, hi rebellium ſcopuli, quos & ipſe Rheni Palatinus, propriâ jacturâ tum oſtendit, dum deſperatis rebus, Principum conjuratione, ſuorum proditione Deuſne, an fortuna pro Imperatore ſtaret miratus, & ſe peccâſſe confeſſus, vltro manus vinctas dedit, pænaſq; ſubijt temeritatis. Neq; enim Virtus Auſtriaca, ad Imperia, Regna, & Reſp: nata tam modicâ fide innutrita, vt ruinæ ſubiaceat, quam neque gladius à religione ſecernere poteſt, quæue tam fecundè ab illo rore deſuper ſtillante vigorem in fauoribus & gratijs mutuauit, vt germen illius in vberes victoriarum, de hoſtibus quibuſuis fructus proſperitatis, ad omnes actiones & conflictus explicaretur. Excurret iam meritò vel ob hoc ſolum per ampliſsima merita, in laudes FERDINANDI II. Patria, qui totâ vitâ ſuâ extra culpam vixerat, ipſe hoſtis fateretur, qui has illius virtutes merè cæleſtes in odio habuerat. Omnibus hominibus Recti, Honeſtiq; amantibus, ſuæ famæ conſcijs ſemper carus, ſed ſuperis ob illam compoſitionem ſupernam virtutum, ad aſtra tendentium carior, à quibus etiam nunquam deſerebatur, imo in illis hoſtium cuneis eos propitios agnoſcebat. Viuet, ac per orbis extremi latices eius fama circumferetur, quiue faſtigium virtutis, ac felicitatis apicem tenuit in terris, Solis ſplendidiſsimi Iugalibus, in victorioſo curru eius merita, fides zelus, Catholicæ pietatis ardor, ipſe juratus miles, aduerſum Romanæ Eccleſiæ hoſtes Imperator prouehẽtur. Et forte adhuc

paucio-

pauciora dixi, quàm esset necessarium, SERENISSIMA REGINA, sed hæc saltem ad commemorationem virtutum, & commendationem Splendoris, qui in Te eminet, non ad calculationem; cum tamen ad eam Orationis propero partem, quæ non est præteruecta aures nostras, verùm oculis præsentibus facta, & recenti recordatione, in cordibus omnium penitus residet, & demoratùr; quæso à Te vt non tam habenas Eloquentiæ meæ infra meritum dicendorum hæsuræ castiges, quam recordationem suauissimam PARENTIS TVI FERDINANDI III. Imperator: Romanorum, paternæ virtutis, & felicitatis proximi æmuli ac Hæredis, ex vera illius apotheosi grato animo percipias, nec quod in medium Tui proferatur duntaxat, sed quid proferri debeat, contempleris. Est profectò quod veniam precer; magnis nimirum animis minora, quàm Majestatis culmen & honoris exigentia laudum tentamina, deliquia sunt,& detractum specioso actis & factis cothurno creditur, quidquid non completum ad perfectionem gloriæ, triumphorum molem festinanter depromitur. Et hinc est, quod Oratorio impetu nolim, sacro perculsus horrore, ad vnum calamum reuocare Parentis Tui Palladias in vtroque puluere virtutes, quæ ad fastigium nostræ ætatis,& secuturi æui infinitos quotidie aptabunt calamos, quibus posteritas non mediocriter delectabitur. Possem enim judicari quod ad exiguas strepitantis chartæ, vellem tantum lucis illius splendorem,& recte gestorum cumulum, detrahere angustias, quæ omnem excedunt capacitatem, quod vno die cogerem magnum ordinem vitæ illius in triumphis tam belli, quàm pacis peractæ, orbi enarrare, qui per singulorum censa capita, aliquot Excellentissimorum Oratorum lustra subiret. Atq; hoc prima inemoriâ, & elogio dignum, quòd circa Electionē illius flagrans non ita pridem odijs, atque bellorum certaminibus Germania, ad vnanimem concordiam animorum peruenit, cum parem Majestati Austriacæ reperire, nec ab orbe vastissimo æmulum virtutis offerri videret. Conueniens certè gloriæ præmium, pace frui suauissimâ per pietatis Hæredem, in quo summa fortuna cum pulchra virtute certauêre, ac omnium judicio plus ei, quàm hominibus alijs conueniret, fuerit tributum; verùm fortis animus ad ardua semper nititur, quiescere diu non vult; quia sanguine heroico instillatus ad Martium vigorem summo ardore animatur; cuius causâ FERDINANDVS III capessijt Sceptra ab armorum stridore, ac ferro suum caput Imperiale cinxit, vt dubium cuiq; faceret, num Diadema, num Galeam, quâ Imperiū vt *Scipio* Regnū meliùs tegeret, induisset, num etiam ad Vulcani eueruncandas artes, ferrea eradenda tempora, aureis viam, &

 princi-

principium feciſſet. Nec diu ſpes animos hominum obſederat, nulla enim ora, nulla ſedes, & locus manſit, in quo non extitiſſent victoriosiſsimi Imp. pietatis, fortitudinis, animi, & conſilij expreſſa veſtigia. Multis regionibus ferri hoſtilis rubiginē deterſit, ferocientem ſuperbiâ, ex primo aditu & formidine Rhenum cohibuit, Orbē terrarum non pedibus magis, quàm laudibus peragrauit, penes eos ſemper maior, & illuſtrior, quibus poſtea contigiſſet. Multum illi addidit famæ illa *Nordlingenſis* ſub annum 1634 victoria; quâ omnib⁹ formidoloſus hoſtibus, virtute autem admirabilior, dicámne amabilior; hujus namq; tantus Splendor eſt, vt in hoſte etiā poſita mulceat & delectet. Non modicum ei gloriæ addidit pax anno ſequenti *Pragæ* inita, quâ *Joannes Georgius Saxoniæ Dux, & Marchio Brandeburgenſis* (Electore abdicato contra datam fidem, non tamen contra bonum ſuum & conſcientiam *Sueco*,) Catholicæ vnioni ſubſcribuntur, Imperatoriq; in deditionem obſequijs ſociantur. Quid cæteras aduerſæ factionis clades commemorem? quibus ſuæ ſupremæ poteſtatis terrorem addiderat; quid religionem? Iura S. literas, quas adeo complexus eſt, vt eas non floruiſſe tantùm inter ſtrepitus armorum, verū & imperâſſe armis voluiſſet: pro quo honore Muſæ omnes cum ſuo Præſide magis ad virtutes & facta eius immortalia inuigilabunt, quàm ad *Achillis* tumulum luxerunt. Hactenus virtutes Auguſti Sanguinis Tui ex vrna quaſi immorituræ memoriæ deprompſi SERENISSIMA REGINA & ex cadaueroſa duntaxat illa vmbra feliciori viſu relegi, quæ non vitreis columnis, vt quondam apud Aethyopes ad ſimulachra poſteris proponenda includuntur, (quia hæ citiſsime franguntur & ruunt) ſed in viua hominum memoria, expreſſæ earum idææ & ſpecies, vt Romanis mos erat, inciduntur, quibus Heroum animi, Ciuium pectora excitabuntur, nomenq; Auſtriacum pro Regula vitæ, & geſtorum vſurpabitur. Promouet in vlterius meum calamum propitius æther, & plenum votis, tumentem deſiderijs, animum, fauſtiſsimo expanſæ AQVILÆ in LEOPOLDO, Romanorum IMPERATORE Fratre Tuo amantiſſimo, volatu conformat, in cuius vitæ præſentis (vtinam diutiſsimæ) elogio, non alia mihi lux, non alius virtutum Splendor, atq; is, qui Generi veſtro ad omnes Regnorum & Imperiorum vſus, tam à diuturno Syderum commercio, quàm à natura conceſſus eſt, quiue in dies euentis clarior, vltra præſentium rerum ſtatum feliciter effunditur. Illigare quidem Eloquentiæ numeris magnitudinem tanti HEROIS nolo, quæ præſtantiſsimorum Oratorum omnem modum ſuperaret, neq; res geſtas ſuſceptis Imperij Habenis ad vocalem ac-

cerſere

cerfere facundiam quæ vastisimas etiam paginas excederent. Ipsa per totum ambitum suum Polonia, eius investigabit laudes, quæ inter suæ fortunæ aculeos, magnum incrementum à parte Austriaca sumpsit, dum in illo injuriantis fati obice, cum *Leone Suetico*, in illo *Scytharum*, *Cosacorum*, aliarumq; grassatarum legionum circumactu, per *Inuictissimos* FERDINANDVM III, LEOPOLDVM modernū, *Romanorum Imperatores* vim, ac virtutem suam recuperauit, & ad suū antiquū prosperitatis, & gloriæ Decorē prouecta est. Adsonabunt & gentilitij applaudente ipsâ Echo in cacuminibus suis repercusso murmure, eiusdem nomini, cum Carpathys Rupibus, *Rakocij* mōtes, & media illa tam Generis, quàm volubilis fortunæ Rota, virtutem LEOPOLDI in alias partes rotari nescientem, meliori modo ad æternitatē circumibit, quâ ipsis Cineribus ex immisis rogis *Transsyluaniæ* excitis perennabit. Sæpiùs vis expers consilij mole ruit suâ, quæ frustra in *Rakocio* ad juga genethliaca nititur, vbi locò radiorū Solis, felicitatem falsò in sede superbiæ promittentis nubibus ipsius ruinæ improbo vertice miscetur, ac vastas spes noui Imperij cupidine æstuantes vanissimâ designatione adimplet, vt vel in proprio Stēmate leuitatem cum vertigine fortunæ conspiciat. Modus eleuatior suas frequenter alit niues, altitudine ipsâ gelidus, cum ad tumorem nunquā verus perueniat ardor, & temeritas contra virtutem pugnās fulminibus vicina non raró feritur in eam scandendo regionem, quæ supliciorum Officina est, & cœlestis iræ penu. Ex altissima turri spectanti *Rakocio* semper est incerta oculorum acies, agitatur vertigine per inania Sceptri cerebrum, & in tanto motu excutiendi jugi non constat neruorū firmitas, Majestatis reuerentiam habendo interpositam. Non bene alieno fulciri auxilio, & ferrum ipsum hebetat, dum genuina ex oppositu virtus accedit; meliùs in aciem proprio Marte descendere, quàm adscititium vocare nitorem. Ipsæ *Rakocij Aquilæ*, animo bellicoso destitutæ, vltrò frameas projecēre, cum feliciori auspicio, ab Austriacorum æmula Alite impeti cæperunt. Verùm & *Zerinius* nuperrime ditionib⁹ *Croatiæ & Sclauoniæ* ardens, arentiori suspirabit rictu, quód ex eluuie, & gratiarum ingluuie, manum menti taminatæ junctam contra Maiestatē tollere præsumpserit. Carcer ille solutus, vbi Aeolus tumidos ejus spiritus tenuit, & vinculis frenauit, potentiam Imperatoris in Orbem sparget, & pulchrâ auxesi virtutem producet. Nolo vlteriùs leui inuolure calamo, in omnia Augustissimæ Tuæ Stirpis o REGINA CLEMENTISSIMA, facta, neq; per vastissimum gestorum, Triumphorum vagari æquor; priùs enim flexuosis imensarum rerum implicarer Mæandris,

quàm

quàm ad portũ, per medium actionũ deuenire, priùs meæ atratæ sepiæ exsiccarentur guttæ, quàm plenæ, pietatis primæ & sequentis, periodi darentur, locarentur. Sufficit, quòd cæli talem Te nobis Heroinã dederunt, in qua omnium Austriacæ Originis lustrorum claritates, gestorum nitores, triumphorum numeri, vitæ gaudia eminent, renitētq; At ex se quoq; Splendor virtutum propriarum, magnam Orbi Polono lucem inuexit, Eminentia intulit honorem, Maiestas inopiâ opacatum nouis coloribus adumbrauit. Siue enim incedas? in conformatione corporis delicatas doses; siue dicas? in labellis Suadæ medulla: siue videas? in oculis Charites: siue ores? in vultu Theodelindæ insidere videntur, vel arte sic efformatæ, vel sic impressæ Naturâ, vt non tam stupeam hanc rerum opificem (quæ tantã in Te elegantiam depinxit) quàm amem procliui meâ mancipatione, & subditâ reuerentiâ, Dominã. Frustra phaleræ, & illa affectatæ facũdiæ huc vocarentur pigmenta, vbi ipsa virtus sibi domiciliũ extruxit, Splendor hic, meam jejunam respuit pennam, qui pingui claritate, ditissimo magnitudinis penu pulchrescit. Par Tibi ad immortalitatem luctatio, cum illis extra naturam muliebrem Orbi expositis Heroinis, quã non Fortuna sed Splendor cælestibus associatus radijs solo & Solio nostro conciliauit, Coronæ dedit. Non admodũ cothurnatis vocibus superbiat Cæsar ille, se Principem à purpura genitum, clarior est Tua gloriæ sparta, quæ nobis ex Imperatorum, Regum sanguine pariter cum virtute innata REGINA contigisti. Viuemus felices ac prosperi, dum pectori Tuo *Austriaco* inserimur. Regnabis & Tu diutissimè, quæ Maiorum amplitudine, Affinitatum Splendore, Parētum admirabili Majestate, virtutum, donorum supernorum Tuorum magnitudine ad Thronum accessisti. Fatiscant, & circa discessum Alexandri inanimatæ sudent statuæ, ad Tuam Solij scansionem, sub pondere virtutum lassati calami, vel disertissimis Orpheis sudores prolicerent. Nuncupamus vota pro æternitate Imperij Tui, Tu verò ea adimple, pro salute Ciuium, pro amplitudine populi Poloni, flore, & commodo Patriæ. Dent Tibi ætatem Superi, quam mereris, seruent animum, quem dederunt, vt hæc Tua Majestas cælesti Coronata Splendore, reuerentiâ Nostrâ comprobata, per animos Gentium effusa, in sinu Reip: Nostræ Lauris victricibus, & arcubus triumphantis populi circumfusa, ad exterorũ liuorem, ad Sarmatiæ in suo Nomine jactantiam, ad Senatûs authoritatem, Nobilitatis nitorem, fidem Prouinciarum, Regni totius laudem, Academiæ Nostræ Zamoscensis Decorem, & incrementum splendeat, ita vouemus, apprecamur.



